

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8676

Auteur(s) : Robert Ier, Alençon (comte)

Bénéficiaire(s) : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1191, 6 mai-1217, 8 septembre]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

QUATRIESME CHARTRE DE ROBERT COMTE D'ALENÇON. — Robert, de retour d'une expédition en Palestine, donne à Perseigne plusieurs saintes reliques avec des parcelles du bois de la vraie croix ; il les dépose sur l'autel dans l'abbaye, pour remercier Dieu et la bienheureuse Vierge-Marie d'avoir bien voulu accorder la victoire à ses armes et à celles de ses guerriers, de leur avoir permis d'échapper aux embûches de leurs ennemis et aux périls d'une longue traversée. Il confirme ensuite à nouveau tous les privilèges de l'abbaye ; puis d'un commun accord, un règlement est rédigé pour le châtement des délits, commis de part et d'autre, en opposition aux privilèges et aux restrictions qui y sont apportées.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n° X, p. 24-26.

Dissertation critique

Robert Ier succède au comte d'Alençon à son frère Jean II (mort le 6 mai 1171) et meurt le 8 septembre 1217.

Texte d'après a

Ego Robertus comes Alenconis, dominus Sagonie, omnibus presentibus et futuris salutem in Domino. Noveritis me sanctissimas reliquias videlicet de ligno sancte crucis cum multis aliis reliquiis super altare abbacie de Persenia obtulisse et in nomine Dei et Beate Marie, qui mihi et bellatoribus meis victoriam dederunt in partibus sancte terre et de periculo inimicorum meorum et de tormento maris me et meos libere et honorifice liberaverunt, eas reliquias et grangiam meam de Sicca-Noa cum domibus, terris, pratis et aliis pertinentiis suis Capellanis meis videlicet monachis dicte abbacie et successoribus suis dedisse et predictam abbatiam cum edificiis, nemoribus, stagnis, aquis, molendinis, moulitis, molituris presentibus et futuris totius ville et parrochie de Novo-Castello, cum omni justitia omnium residentium in dicta villa et parrochia, tam ad presens quam etiam in futurum ratione dicte moulte et moliture, eisdem confirmasse. Ista autem et omnia alia que habent a me et ab predecessoribus meis et ab omnibus aliis, et omnia illa que per Dei gratiam futuris temporibus acquirere poterunt aut eleemosyna vel emptione seu alio quocumque titulo, in omnibus locis potestatis mee, ipsis in perpetuam eleemosynam possidenda concedo cum omni jure, jurisdictione, districtu, fide, homagio, feodo, ventis, viis, cheminis, clamore, justitia alta et bassa, venationibus, garennis, omnimodis et cum aliis rebus et exactionibus secularibus, mihi aut heredibus meis pertinentibus ratione premissorum. Quia omne jus quod habebam vel habere poteram in predictis et in dependentiis suis quoquomodo ipsis monachis et successoribus suis dedi, et adhuc do, cesso, quito penitus et dimitto, nihil mihi

in eisdem aut heredibus meis retinendo nisi tantummodo participationem omnium bonorum spiritualium eorumdem tam de die quam de nocte. Et sic volo et firmiter precipio, pro salute anime mee atque predecessorum et successorum meorum, ut ipsi monachi et successores sui et eorum alocati teneant, possideant, explectent, exercent predicta omnia et singula sicut predictum est. Et gaudeant de omnibus antedictis et suis dependentiis quotienscunque et quandocunque voluerint et sibi viderint melius expedire, absque hoc quod heredes mei vel eorum alocati possint ipsos quoquomodo impedire aut aliquid reclamare. Item do et cesso ipsis monachis et successoribus suis et rebus predictis et omnibus aliis domibus suis factis et faciendis et eorum dependentiis, usagium suum in omnibus forestis et nemoribus meis ad omnia necessaria sua et utilia et omnium animalium et porcorum suorum pasnagium, herbagium et pasturam omni tempore, exceptis ventis et talleis a quibus debent usque ad septem annos animalia sua pascenda custodiri. Et constituo et ordino bona fide quod si dicti monachi vel conversi aut eorumdem successores seu operarii sui sive servientes et mercenarii dicte abbacie vel locorum suorum ligna, arbores, merrennia usagii dictarum forestarum et nemorum vendiderint, dederint aut pro utilitate dicte abbacie et locorum ejus alienaverint sive animalia sua locis incompetentibus perduxerint vel aliud ultra privilegia et jura sua, aut aliud contra me seu heredes meos quoquomodo fecerint ultra quam debuerint monachi et conversi si de premissis fuerint convicti ad mei petitionem vel heredum meorum per abbatem dicte abbacie secundum rigorem ordinis graviter et turpiter punientur. Operarii autem et alii antedicti si de premissis reprehensibiles vel culpabiles inventi fuerint et in presenti malefacto forestarii, aut servientes mei sive heredum meorum ipsos ceperint ad petitionem unius monachorum vel conversorum aut aliquorum predictorum statim cum bonis suis recreantabuntur ac etiam dimittentur ; ita tamen creantabunt operarii, servientes et mercenarii quod ad diem eis assignatam ad placita forestarum predictorum in jurisdictione comparebunt et ibidem secundum malefacti presentis pretium emendabunt aut per dictum abbatem per salarium ipsorum vel per servitium sive servitii privationem et prebendorum oblationem secundum meritum punientur. Quia nolo dictam abbatiam propter malefactum monachorum, conversorum, operariorum, servientium vel aliorum predictorum damna sustinere, aut ejus usagium sive bona dicte abbacie impediri vel ab ipsis emendas aliquas extorqueri nisi certum constiterit malefactum de abbatis et conventus voluntate et assensu unanimi processisse et tunc abbas dicte abbacie mihi et heredibus meis ipsis convictis secundum pretium damni presentis tenebitur emendare, aut per suum patrem abbatem ad petitionem meam vel heredum meorum secundum rigorem ordinis graviter punietur. Et si forestarii vel servientes mei seu heredum meorum contra predicta sive contra alia jura dicte abbacie quoquomodo fecerint per me vel per heredes meos dicto abbati et successoribus suis tenebuntur emendare et integre omnia damni reddere. Promiserunt dicti abbas et monachi bona fide ista predicta et omnia alia jura dicte abbacie et mea et heredum meorum fideliter adimplere et firmiter custodire et successores sui in professionibus ipsorum promittere similiter tenebuntur. Et ego comes predictus fideliter promitto predicta omnia integre et libere garrantizare et defendere contra omnes et renuntio pro me et heredibus meis omnibus antedictis et omnibus aliis que mihi aut heredibus meis omnibus antedictis et omnibus aliis, que mihi aut heredibus meis ratione predictorum potuerunt pertinere vel etiam subvenire, exceptis bonis spiritualibus gratia Dei mediante. Et de omnibus predictis trado possessionem et sessinam confessori meo Adamo abbati dicte abbacie, sub custodia, manu et protectione omnium superiorum meorum et tuitione sancte matris ecclesie et honore per presentem cartam sigilli mei munimine roboratam. Testibus Willelmo Tallio, Roberto de Pratis, Gaufrido Daub., Johanne de Rochis militibus meis, Johanne de Nemore, Radulpho Gauch., Philippo Limb., Matheo Lodon capellanis meis et pluribus aliis.